

Noticia inter nos sed talis facta repente est,  
(Sitq̄ precor liquidas dum vebet Ister aquas)  
Qualis erat Pyladi cum claro semper Oreste,  
Qualis Thesæo Pirithooq̄ fuit.  
Namq̄ illos tantus coniunxerat ardor amicos,  
Alter vt alterius morte perire velit.  
Phocæus iuuenis præstanti Agamemnone nato  
Adfuit, Eumenidum dum face tactus erat.  
Persius Egides vidit Plutonia regna,  
Pirithoo fidus dum cupit ire comes.  
Sic quoq̄ dum rerum fuerat fortuna mearum  
Tristis, & ingenti pondere pressus eram.  
Nostraq̄ dum rapidis volitabat ad æthera ventis  
Cymba, Acherontæas & capiebat aquas.  
Dum Zephyri vasto quatiebant littora fluctu,  
Dum gemit à tumidis fluctibus iæta ratis.  
Tu tabulas iungis, iactataq̄ vela capeßis,  
Quassatam reficis, consolidasq̄ ratem,  
Tu laceræ solus remanebas anchora puppi,  
Tu mihi præsidium, tu mihi portus eras.  
O mihi perpetuis viuo celebrande Camænis,  
O mihi Thesæa Paule probate fide.  
Hæc benefacta (hominis cupio si nomine dici)  
Ex animo rapiant tempora nulla meo.  
Nec me posse reor tantas tibi soluere grates,  
Quas ausim meritis æquiparare tuis.  
Sed tamen affirmo fore me gratumq̄ piumq̄,  
Donec in hoc tepidus pectore sanguis erit.